DE

PARIETIS ANTERIORIS VESICAE URINARIAE DEFECTU.

D SSERTATIO

INAUGURALIS ANATOMICO - PATHOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI,

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES RITE SIBI CONCEDANTUR,

DIE XX. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXXIII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENSURUS EST

AUCTOR

LUDOVIC. EDUARD. AEMIL. BEHM

WRIETZENA - MARCHICUS.

OPPONENTIBUS:

F. SCHLEMM, MED. DR.
F. HAHN, MED. CAND.
J. E. GABLER, MED. CAND.

CUM DUABUS TABULIS AENEIS.

FORMIS BRÜSCHCKIANIS.

V I R O

ILLUSTRISSIMO DOCTISSIMO

W. F. MATTHES

CINAE DOCTORI EXPERIENTISSIMO IN URBE SCHWEDT VIADRUM, AVUNCULO DILECTISSIMO, DE SE SUISQUE VALDE MERITO

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

GRATO ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Praefatio.

Quaerens peragrans medicinae orbem ad eligendam materiem dissertationi inaugurali congruam, plurimas inveni difficultates. Quid enim est, quod artis tiro, omni fere destitutus experientia, de morbo aliquo remediove disserere queat, nisi materias, undequaque collectas in unum cogere gestiat!

Ex anatomia igitur pathologica, in qua multa nondum satis indagata deprehenduntur, materiam petiturus, Virum Illustrem ac praeceptorem summe venerandum Rudolphiadii, rogans, ut in hac re ambigua suppetias mihi ferret. Ille quidem Vir pro insigni sua benevolentia mentem meam

ad foetum quendam attendit, in Museo nostro anatomico servatum, vesicae inversae prolapsu, quem dicunt, notabilem, eumque describendum mihi commisit, quamobrem maximas gratias praeceptori Ill. hisce lineolis agere, meum esse puto.

Vos autem, Lectores, juvenile hoc opusculum, quam sit tenue, liberaliter accipiatis.

Disquisitiones anatomicae quanti sint emolumenti ad morbos dilucidandos, ex Morgagni libro de sedibus et causis morborum facile patet. His enim disquisitionibus saepenumero accidit, ut de morborum indole certiores reddamur, quam vix et ne vix quidem suspicari licuit.

Haec autem ingens utilitas non solum ad morbos acquisitos, verum etiam ad morbos congenitos spectat, quippe qui potissimum testantur, quantum natura interdum ludere, aut a norma consueta deflectere possit ac soleat. Hisce ludicris naturae operibus vitium interponendum est, cuius uberiorum descriptionem istae pagellae exhibent.

in monstro, quod in Museo nostro anatomico servatur. Attamen puellam vidi, sex fere annos natam eodem morbo sic laborantem, ut color tumoris potius e rubro esset coeruleus, praetereaque vesicae membrana interior Epitelio quodam investita esse videretur, quod tanquam propugnaculum a natura ei additum erat, ut vestimentorum aliarumque iniuriarum efficaciae facilius resisteret. Hic tumor omnibus corporibus, ad hanc monstrorum classem pertinentibus communis est, cui aliae abnormitates, tum verum singularium, tum [illegible] ratione diversae, accedunt.

Umbilicum nonnunquam penitus deesse, ut nonnulli tradunt, vix credendum mihi videtur. Unde enim Embryo nutrimenta capiat, funiculo destitutus umbilicali, cum satis constet, per os eum nutriri non posse. Citra dubium adfuit umbilicus, sed fortasse adeo complanatus, ut oculum effugeret. Praeterea semper inferior est, i. e. pubi propior, quam in corpore normali 1). Monstrum, quod in Museo nostro prostat, funiculum umbilicalem adhuc commonstrat, ita ut de hac re error oriri nequeat. Praeter haec accedit hernia umbilicalis congenita.

Epispadia saepe aderat in masculis, ut legimus

---

1) Mekel l. c. p. 718.

apud Bonn, Roose aliosque 1). In nostro quoquo foetu eadem adest, et penis vix rudimentum restat, quod idem in plerisque eiusmodi Monstris observatur. Mihi quoque Hypospadia adesse videbatur, siquidem corporum cavernosorum rudimenta penitus fere seiuncta sunt, verumtamen ea adhuc aliquantulum cohaerere animadvertebam, ita ut globulorum duorum instar se contingerent. Inde factum est, duae ut orirentur incisurae, superior nempe et inferior. Superior illa incisura ad Epispadia ipsa, in inferiore autem urethra sedem haberet, nisi penitus deesset, quamobrem illa incisura inferior pro abnormitate haberi non potest.

Rudimenta illa corpora cavernosa penis esse arbitror, non urethrae, quippe quae ut iam monui, penitus abest.

Orificia ductuum eiaculatoriorum in utroque latere capitis Gallinaginis, situm haud anomalum referunt.

Scrotum in nostro foetu nondum testiculos tenet, Raphe autem non deest, ut in permultis invenitur monstris.

---

1) Roose l. c. Cap. 5.
Bonn l c multis in locis.
Mekel l. c.

In monstris femineis nonnunquam aderat atresia vulvae, saepe autem ureter unus 1) alterve in vagina aperiebatur.

In utriusque sexus monstris saepe circa regionem inguinalem protuberantiae seu eminentiae observabantur, quae testes vel ovaria continere credebantur, plerumque autem ossibus pubis efficiebantur, quae in utroque sexu magnis intervallis distantia et ligamentis tantummodo coniuncta reperiuntur. Spatium illud inter ossa pubis plerumque duas pollices ad quatuor patebat, nos in exemplari duos et dimidium. Non autem adeo prominebant ossa, ut tubera iis effecta oculis facile intelligi, sed tactu tantummodo explorari possent; et regio illa in qua sita sunt, litteris est significata. Ligamenta, quae ossa pubis symphyseos loco coniungunt, digitis admotis dura et adstricta inveni, non cartilaginosa. Primus illa ligamenta exquisitius descripsit Bonn 2). Atqui iam Isenflamm commemorat ligamentum rotundum, inter ossa pubis situm 3). Propter illam

---

1) Mekel l. c. p. 726.
Herder l. c. §. 7.

2) Bonn l. c.

3) Isenflamm, Beschreibung der äussern und innern Beschaffenheit einer angebornen vougefallnen umgestülpten Harnblase, Dorpat 1806.

distantiam ossium pubis femora etiām minus invicem sibi propinqua, ac in corporibus sanis deprehenduntur.

Haec de externo eiusmodi monstrorum habitu commemorasse, sufficiat, iam ad internam eorum structuram describendam nos accingamus. Disquisitiones anatomicae horum monstrorum internae paucissimae sunt, ita ut tantummodo scripta Isenflammii et Bonnii huc referre possim 1), nam abnormitates a Mekelio 2) expositae, et ad hocce caput pertinentes, plerumque a cadaveribus mihi desumptae videntur, quibus monstrositas his pagellis adumbrata deesset.

Primum gradum facio ad describendos

R e n e s.

Hos in foetu ad descriptionem mihi commisso aliquantulum inferius sitos, et magis quidem sinistrum, quam dextrum inveni, ita ut margo eius inferior os sacrum fere aggrederetur. Forma renis dextri normalis fuit, durior autem substantia eius quam sinistri, et adipe multo circumvoluta.

---

1) Isenflamm l. c.
Bonn, Het aangeboren Blaasgebrek etc.

1) Mekel Handb. der pathol. Anatomie.

Sinister formam obtulit longitudinalem, et structuram multis lobulis compositam inde ac embryonis periodo retinuerat. Lobuli penitus a se invicem separari potuerunt, nulla adhibita violentia. Arterias inveni in sinistro latere duas non autem dubito, plures adfuisse, quae me praeterirent, siquidem foetum penitus dissecare mihi non licuit. In latere dextro unam tantummodo inveni arteriam.

Isenflamm 1) in homine a se dissecto pelvim utriusque renis impletam fuisse urina ichorosa, sine ullo lithiasis vestigio, monet. Equidem hoc non inveni; homo autem ab Isenflamm dissectus quadraginta annos fuit natus, quamobrem facile suspicandum est, vitium illud morbo quodam conquisitum fuisse, tametsi homo Lithiasi non laboraret. Foetus a me descriptus, recens natus ideoque morbis, quibus adulti obnoxii esse solent, nondum patuit.

Ceterae renum abnormitates praecipue a Mekelio commemoratae, huc pertinere mihi non visi dentur, quum nonnisi de iis sermonem faciam, quae una cum illo vitio vesicae coniunctae in toto systemate uropoetico praeter naturam inveniuntur.

---

1) l. c. p. 9.

Glandulae suprarenales in utroque latere adsunt, situmque offerunt legitimum. Sinistri autem lateris glandula, adeo cum rene coniuncta erat, ut a lobis supra dictis vix descerni posset. Vasa harum glandularum disquirere non potui, quippe quae adipe multo, ceterisque abdominis visceribus circumvoluta, oculum praeterfugerent.

U r e t e r e s.

Horum in utroque latere unum invenit Isen- [illegible]am; neque Bonn quod ad numerum attinet, [illegible]am anomaliam animadvertit. In corpore ab [illegible]flammio disquisito dexter longitudinem habebat quatuordecim pollicum, latitudinem fere pollicis unius, sinister novem pollices longus, dimidium fere latus erat. Canaliculus vero sinistri ureteris non per totam eius longitudinem, sed tantummodo pollicem circiter et dimidium porrigebat. Bonn longitudinem ureterum indicare non potuit, quia monstrum ei offerebatur ureteribus iam resectis. Latitudinem fuisse normalem, ex icone apparet.

Equidem ureteres pro renum situ longos reperi, verumtamen longitudinem quinque pollicum non superabant. Latitudo ureteris dextri quatuor circiter lineas patet. In sinistro latere duos inve-

ni ureteres, quorum alter ex inferiore hili parte, alter vero superne ex lobulis originem duxit. Ambo latiores fuerunt dextro, cursuque aequabiliter consociato ad vesicam pertigerunt. Pollicem ab ea distantes iungebantur, non ita tamen, ut alter in alterum transiret, sed septum eos seiungeret usque ad eorum introitum in vesicam, duoque existerent ostia, quae in tabula nostra prima, litteris f. g. significata perspiciuntur. Septum eis interiectum esse, setae orificiis immissae testabantur, quae per quodque orificium in unum [illegible]a, in ureterem duci potuerunt.

Papillas autem, ab omnibus fere sc[illegible] commemoratas, quae ostia ureterum circumc[illegible] invenire non contigit, etenim libero orificio [illegible] teres aperiebantur.

T e s t e s.

Utrumque testiculum adhuc in ventris cavo positum deprehendi. Longitudo eorum summa est, quippe quae pollicem integrum, crassities vero lineas duas patet. Dextri testis extremitas superior renis marginem inferiorem superat. Sinister autem annulum abdominalem iam ingreditur atque idcirco multo inferior est dextro.

Vesiculae seminales.

Legitimum tenebant situm qualem in foetu semper tenent, per vas deferens nondum a se invicem distractae. Ligamentum autem inveni tenue quod eas in hac statione retinuisset, etiamsi testes annulum abdominis iam permeassent. Affixae erant illi ligamento per extremitatem hoc in periodo adhuc inferiorem.

Ductus eiaculatorii circa extremitatem superiorem, et ostia eorum, ut iam antea dictum, ad utrumque latus capitis Gallinaginis sita fuerunt, nulla igitur ratione naturae repugnarunt. Vas deferens pollicis longitudinem aliquantulum excessit, ab inferiore testiculorum extremitate ortum. Epididymidis nullum inveni vestigium.

Vasa spermatica.

Haec ab arteriis renalibus orta ad testiculi partem superiorem se conferebant. Permulta eorum inveni, mirum in modum inter se coniuncta, ita ut reticulum conformarent.

Glandula Prostata penitus desiderabatur.

Causa morbi.

Opiniones scriptorum, hac de re maxime dissentientium, Mekel accuratius collegit. Plurimi autumant, fissuram ossium pubis causam fissurae vesicalis in se continere, sed haec explicatio non sufficit, etenim disquiratur necesse est unde fissura ossium ordiatur. Duncan miram excogitavit Hypothesin de ortu huiusce vitii, quae vero partim a Mekelio iam est refutata, partim etiam iis refellitur, quae nostro in exemplo reperta et animadversa sunt. Si enim illa Duncanii opinio esset vera, semper inter ossa pubis tumor, vesica procumbente effectus iaceat, necesse videtur, in foetu autem nostro longe altius adscendit, quam ossa pubis. Si porro perpendimus, quantopere et aponeuroses et tunicae musculares extendi possint, vi sensim sensimque adhibita, ut e. g. fit in omnibus morbis hydropicis, intelligi non potest, cur

vesica per urinam extensa rumpatur. Et si denique concedere velimus, vesicam rumpi posse, gravissima tamen quaestio nobis obtruditur, cur etiam linea alba dura illa aponeurosis laceretur; et suntne quoque ligamenta dura inter ossa pubis iacentia, quae eandem fere vim exercere possunt, ac ossa pubis ipsa? Nonne haec vesicae impetui reniterentur, eiusque rupturam praepedirent? Omnia denique a Duncanio ad probandam sententiam prolata, atresiam urethrae supponunt, quae autem non semper adest 1). Penitus ergo reiicienda est Duncanii opinio. Magis minusve etiam aliorum scriptorum theoremata a Mekelio collecta vituperio digna ac respuenda mihi videntur.

Quamquam egomet nihil certi de vera huius vitii causa et ratione proponere valeam, persuasum tamen habeo, nec distantiam ossium pubis, nec fissuram vesicae alternis vicibus se producere, sed eandem causam, sive sit occasionalis, sive praedisponens utramque abnormitatem et seiunctionem ossium pubis, et vesicae fissuram inferre. Vitia illa primis iam Embryonis vitae temporibus oriri, et praecipue in nisu naturae formativo cohibito ponenda esse, in aprico est, si perpendimus, illis temporibus Embryonem gelatinosa

---

1) Mekel l. c. pag. 737.

tantum mole consistere atque idcirco facillime offendi et laedi posse.

Vim quandam mechanicam ad producendum illud vitium sese efficacem praestare, non plane improbabile censeo, sed hanc solam semper causam existere iure meo diffiteor, quum saepe huic vitio alia etiam sint nupta, quae a laesione mechanica vix et ne vix quidem pendant, e. g. labium leporinum, quod in foetu nostro quoque adest et a Mekelio saepe animadverti traditur.

Connubium huiusce vitii pariter nisum formativum naturae cohibitum portendit, quem igitur pro causa palmaria habendum, ac monstrositatem descriptam morbis cohibitionis interponendum censeo.

Curatio morbi.

Vitium illud pessimum exhibet praesagium, siquidem de radicali eius curatione vix unquam cogitati potest. Nihil igitur agendum est, quam incommodis occurrendum, quae isto ex fonte scaturire possint. Hunc ad scopum consequendum, instrumenta a Bonnio inventa, aliquantum praestare mihi videntur.

CURRICULUM VITAE

EX DECRETO

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

BEROLINENSIS

ADIECTUM.

Ego, Ludovicus Eduardus Aemilius Behm, natus sum anno MDCCC Wrietzenae ad Viadrum, patre medico, matre e gente Matthesiana: Prima litterarum elementa institutionibus privatis praeceptoris per patrem impetrati debeo. Pater optimus anno MDCCCXV diem supremum nimis mature obiit, mater iacturae magnitudinem aegerrime ferens anno MDCCCXXII phthisi extincta est.

In instituto paedagogico dilectissimi Stange, Philosophiae magistri, in urbe patria florente, per biennium eruditus ad avunculum me contuli verbi divini ministrum, Malo, de me maxime meritum ut praecipue lingua latina et graeca imbuerer. Gymnasii Regii Ioachimici civis factus anno MDCCCXV quadriennio praeterlapso, maturitatis testimonio munitus, ad hancce almam litterarum universitatem me contuli, ut medicinae studio vacarem.

Mense Martio anni MDCCCXIX igitur, Rectore Magnifico Cel. Weiss et Decano Ill. Berends civibus academicis adscriptus, hisce abinde praeceptoribus usus sum: In Botanice Ill. Link et Cel. Hayne, in Osteologia, Syndesmologia, et arte formulas medicas conscribendi Ill. Knape; In Anatomia cum humana tum comparata, Physiologia, Methodologia medica, doctrina de organis sensuum et de Entozoorum historia naturali Ill. Rudolphi disserentes audivi; Sectiones in cadaveribus instituendas Ill. Rudolphi et Knape bis me docuerunt. In Zoologia Cel. Lichtenstein, in Physica experimeutali et Pharmacia Cel. Turte, in Chemia Ill. Hermbstädt, in Pathologia generali Exp. Böhr nec non in hac doctrina et Semiotice Cel. Fr. Hufeland duces mihi contigerunt. In Pathologia et Therapia speciali nec non in doctrina de morbis syphiliticis Ill. Horn, in Materia Medica Cel.

Osann, in Chirurgia Ill. Rust, In Akiurgia Ill. Rust cum Cel. Klugio et Exper. Iüngken, in Ophthalmiatrice Cel. Wagner, in Ophthalmiatrice, Akólogia et doctrina privata de operationibus circa oculum humanum instituendis Exp. Iüngken me erudiverunt. Doctrinam de Cachexiis et morbis senum me docuit Ill. C. W. Hufeland, Therapiam morborum systematis nervosi, et Aphorismos Hippocratis mihi exposuit Ill. Berends, artem obstetriciam Generos: a Siebold.

Institutionibus medico-clinicis Ill. C. W. Hufeland et chirurgo-clinicis Ill. Graefe interfui.

Tentamine et examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite superatis, fore spero, ut summi in Medicina et Chirurgia honores in me conferantur.

In instituto paedagogico dilectissimi Stange, Philosophiae magistri, in urbe patria florente, per biennium eruditus ad avunculum me contuli verbi divini ministrum, Malo, de me maxime meritum, ut praecipue lingua latina et graeca imbuerer. Gymnasii Regii Joachimici civis factus anno MDCCCXV quadriennio praeterlapso, maturitatis testimonio munitus, ad hancce almam litterarum universitatem me contuli, ut medicinae studio vacarem.

Mense Martio anni MDCCCXIX igitur, Rectore Magnifico Cel. Weiss et Decano Ill. Berends civibus academicis adscriptus, hisce abinde praeceptoribus usus sum: In Botanice Ill. Link et Cel. Hayne, in Osteologia, Syndesmologia, et arte formulas medicas conscribendi Ill. Knape; In Anatomia cum humana tum comparata, Physiologia, Methodologia medica, doctrina de organis sensuum et de Entozoorum historia naturali Ill. Rudolphi disserentes audivi; Sectiones in cadaveribus instituendas Ill. Rudolphi et Knape bis me docuerunt. In Zoologia Cel. Lichtenstein, in Physica experimentali et Pharmacia Cel. Turte, in Chemia Ill. Hermbstädt, in Pathologia generali Exp. Böhr nec non in hac doctrina et Semiotice Cel. Fr. Hufeland duces mihi contigerunt. In Pathologia et Therapia speciali nec non in doctrina de morbis syphiliticis Ill. Horn, in Materia Medica Cel.

Osann, in Chirurgia Ill. Rust, In Akiurgia Ill. Rust cum Cel. Klugio et Exper. Iüngken, in Ophthalmiatrice Cel. Wagner, in Ophthalmiatrice, Akölogia et doctrina privata de operationibus circa oculum humanum instituendis Exp. Iüngken me erudiverunt. Doctrinam de Cachexiis et morbis senum me docuit Ill. C. W. Hufeland, Therapiam morborum systematis nervosi, et Aphorismos Hippocratis mihi exposuit Ill. Berends, artem obstetriciam Generos: a Siebold.

Institutionibus medico-clinicis Ill. C. W. Hufeland et chirurgo-clinicis Ill. Graefe interfui.

Tentamine et examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite superatis, fore spero, ut summi in Medicina et Chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Trepanatio in omnibus cranii contusionibus adhibenda.

II.

Aneurisma verum existit.

III.

Morbi venerei nonnisi per infectionem oriuntur.


Explicatio tabularum.

Tab. I.

) Tumor ab interiore membrana vesicae tectus, et ab intestinis propulsus.

) Funiculus umbilicalis.

) Hernia umbilicalis congenita.



Müller ad. nat: del.

F. W. Linzer jun. sculp.